



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**

**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 2. De legatione Iudæorum ad S. Ioh. Bap.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO II.  
DE LEGATIONE IV-  
DAEORVM AD S. IOAN-  
NEM BAPT.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. Legatis Iudaeorum sciscitantibus ex Ioan. 1.  
Ioanne : Tu quis es? respondit hu- 19.  
militer, se non esse Christum, neque  
Heliam &c.
- II. Illis instantibus, addit : Ego vox  
clamantis in deserto, parate viam  
Domini &c.
- III. Replicantibus: Cur ergo baptiza-  
ret? respondit : Ego baptizo in aqua.  
Medius autē vestrum stetit (Christus)  
quem vos nescitis, cuius non sum  
dignus, vt soluam corrigiam calceam.

---

FIGVRA.

**A**MASIAE Sacerdoti cōsulenti Amos,  
vt iret in terram Iuda & ibi prophe-  
ret, respondit: non sum Propheta, nec fili-  
us prophetae, sed armentarius, vellicans  
sycomoros.

PRO-



---

 PROPHEZIA.
 

---

Isa. 40.

**V**ox clamantis in deserto, parate viam  
 Domini, rectas facite semitas eius &c.  
 omnis vallis implebitur, omnis mons & collis  
 humiliabitur &c.

---

## DOCUMENTA.


1. **I**oannes maximè fiebat ab omni hominum genere; quia natiuitas eius fuit admiranda; vixit à pueritia in eremo vitam durissimam, pœnitentiam verbo & exemplo prædicans; veritatis ac iustitiæ amantissimus. Has virtutes imitare, vt apud Deum magnus sis, & perfectionem attingas.
2. Solidavirtus, ac vitæ sanctitas, etiam apud improbos & hæreticos (quales erant Pharisæi plerique) suspicitur & honoratur.
3. Ioannes fuit humillimus, non tantum recusans titulum Messie; sed negans se esse Heliam, aut Prophetam cum tamen Christus eum vocasset Heliam (spiritu scilicet) *Matt. II.* & plusquam Prophetam *Io. I.* Sis & tu humilis, nec de bonis etiam, quæ verè habes (vt est nobilitas, doctrina, sanctitas) te iactes, quamdiu sine mendacio potes filere, aut loqui.
4. Coactus legatorum importunitate, tandem indicat (sed obscure & cum noua humilitate) se esse eum de quo Isaias prædixit: *vox clamantis in deserto.* Et verè erat Vox, quia omnia, quæ in ipso erant, loquebantur & prædicabant virtutem, pœnitentiam, Christum: eum imitaberis, si non tantum verbo, sed



sed etiam habitu, conuersatione, ac vitæ exemplo suadeas perfectionem.

5. *Baptizo aqua.* Perstat in humilitate, quia hæc virtus debet esse in Christiano (Aug.) prima, media, vltima sicq; euasit captiosas quaestiones inimicorum. Quia vera humilitas omnes laqueos, quibus mundus plenus est, euadit.

6. *MEDIVS VESTRVM STETIT, quem nescitis.* Hæc est improborum ignorantia DEVM (qui vbique est,) non agnoscendum. Tu eum in medio cordis tui habeas, agnoscas, ac reuerearis.



MEDITATIO III.

PRAEDICTIO DOLO-

RVM B. VIRG.

PUNCTA MEDITATIONIS.

I. Erant Ioseph & MARIA, mirantes Luc. 2.

super his, quæ dicebantur de IESU.

II. S. Simeon prædicit matri: Ecce positus est in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur & tuam ipsius animam pertransibit gladius &c.

III. Puer autem crescebat, & confortabatur & gratia Dei erat in eo.

FIGV-